

a 1522 ad 1533 = 257 ite 352

297

Petrus Tomicki, Joanni Choienski archi:
diacono Cracoviensi secretario regio.

Venerabilis domine frater in Christo charissime.
Delatum est ad nos ab amicis Gregorii de Lwo-
wek civis Vilnensis, et qui publicis negotiis exer:
cendis scribendisque isthic præfici plerumque vole:
bat, quod cum de duplici crimine iudicialiter ac:
cusatus isthic esset, et reus iudicatus, et à do:
mino quoque episcopo et fortunis omnibus quas
amplas habuisse dicitur exutus existeret, et ad
perpetuum carcerem condemnatus, sed quod non pri:
dem ex eo rursus carere, sex illic annis exa:
ctis, nescimus an ope alicuius, an vero sua in:
dustria sit elapsus, ducatque nunc miseram et
calamitosam vitam, partim propter egestatem, par:
tim propter animi et corporis afflictionem susceptam.
Qui quidem homo, quia et nobis inde à multis
annis est bene notus, et ab amicis hic plurimum
commendatus, non potest nobis non esse gratus, præ:
sertim cum ex utroque crimine, ob quod accusaba:
tur, ita illum amici purgent atque defendant,
ut facile videantur nobis persuadere illum in:
sentem prorsus illorum fuisse. Primum enim
de testamento, quod falsa scriptura vitiasse et
intervertisse dicebatur, dicunt ita accidisse, cum
à tabellione quodam, qui testamento cuiuspiam
nobilis viri et boiari interfuerat, pro amicitia
requisitus et rogatus esset, ut exemplum quod
in sententiam voluntatis testatoris scriptum erat,

emendaret

emendaret, ille nullam fraudem suspicans, ut amico obsequatur, adscripsit, quod et amicum ver-
le, et ad rem pertinere putabat, solus enim nec
que testamento faciundo interfuit, neque instrumen-
tum ullum confevit. Deinde et de libro officialis
Vilnensis, quem ille adscribendo vel cancellando ali-
quid adulterasse criminatus est in quadam ma-
rimoniali causa, ita eum excusant, quod illud,
quod in libro manu eius scriptum esset reper-
tum, mandato officialis factum fuisset, quibus
etiam conceptis verbis dicitur cancellarium domi-
ni episcopi in eadem causa post aliquod tem-
pus sententiam fuisse, neque aliquos ex iis,
ad quos pertinebat, dicebant unquam hac de
re apud dominum episcopum aut quempiam
alium hominem questos fuisse, sed invidiam
solam inimicorum id esse operatam, ut ille
quamvis innocens condemnaretur, et fortunis
suis privaretur omnibus. Quare nos et calamita-
te infortunioque hominum permoti, et precibus ami-
corum eius inducti, scripsimus ad dominum epi-
scopum literas ea de re, illum rogantes, ut aliquid
ex severitate iudicij et sententia remitteret, homi-
nique calamitoso miseretur, ac vos etiam presen-
tibus diligenter rogamus, ut apud dominum episco-
pum ei homini concilietis gratiam, et si fieri potest effi-
ciatis, ut et ad famam, et ad facultates suas restituatur,
namque est ad extremam egestatem redactus, et liberorum
quos isthuc habet, cura et solitudine gravatus et afflictus.
Favetis remi pio officio dignam et nobis vehementer gra-
tiam. Valeatis felices et incolumes. Datum